kat.komp.
14146
C.R. BIBLIOTHECA VNIVER. IAGELL. CRACOVIENSIS
III | Mag. St. Dr. | P

...nislaus

Popiołek Jos. Greg. Lapis super ostium monumenti vespere Sabbathi sancti revolutus

[illegible] et VITAE
Polon. Fol.
№ 190

# LAPIS
## super ostium monumenti,
Vespere Sabbathi Sancti
## REVOLVTVS,
dum ab omni mortalitatis opere quievit æternè
*Perillustris olim Clarissimus & Admodùm Reverendus Dominus,*
# D.M. STANISLAUS DASZCZYNSKI,
Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, Ecclesiarum Collegiatarum; S. FLORIANI ad Cracoviam PRÆPOSITUS, Visliciensis DECANUS, Vir in Ecclesia & Academicis Statibus emeritus:
**dumq; Sepulchralia Ejus**
publicô ritu
in Ecclesia Collegiata S. FLORIANI ad Cracoviam celebrarentur,
*A*
M. JOSEPHO GREGORIO POPIOLEK,
Philosophiæ Doctore, Matheseos Professore, Collega Minore, Ecclesiarum; Collegiatæ in Summo Posnaniensi B. M. V. CANONICO, S. ADALBERTI in Circulo Cracov: PRÆPOSITO, Strzałkoviano Iuratoq; Geometra,
ad perpetuam tanti Viri memoriam
panegyricâ pennâ
## INSCRIPTVS.
*Annô Domini 1730. Die 15. Aprilis.*

CRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.

14146 III
I. XXII. 10.

# LAPIS
## super ostium monumenti
Vespere Sabbathi
## REVOLVTVS.

## Olympia vitæ hominum,
certum est non ex solis corymbis nectere coronas.
Amant inter laurus cupressô redimiri,
inter lectos triumphos in supplicium duci;
atque Palmaribûs celebrata stadia
palmô sive pugillô terminare.
Inter festivos ignes pyra nascitur,
& quos suus ardor illustrat Alcidas,
extingvit favilla.
Quis Dædalus ad speciosa opera non cereus?
Qui soles cum aureo jubare sinè deliquio?
cujus Dvillij funalia sinè umbris?
Nempe:
si ubique felicior haberetur Arabia,
si phænices prodiremus cuncti;
ferale ita non evitaremus bustum;
quin è mortalitatis cineribus evolaremus ad Superos.
Antæos terra parturiat,
ad repetitos casus erigat robustiores;
non fovebit perennes.

Cla-

Clava mortis gravissima;
in quo ictu exitia decernit; in eodem congestas vires confundit
Fatorum appetitus crudelis,
vermis est ad hæderam,
tinea ad purpuras,
securis ad arborem vitæ posita.
In una gemma fortunam Regnorũ epotare ejus est,
in surrepto Palladio securitate privare.
Hinc est
quòd animorum uniones expilat
thesaurum Virorum diripit:
ad æternè dissolvendos pretiosiores adamantes,
non sangvinem hircorum, sed pulverem mortalitatis exquirit.
Operosi Nominum labores,
non sine fatorum conatu cernuntur.
Inter numerosa amphitheatra gloriæ,
mortis cathadromus præstò:
ita;
ut non satis Emilianis uno die Patris spectare triumphum;
sed necesse duorum Fratrum funera.
Non satìs Sajanis in Imperium provehi;
sed eodem die in frusta dissecari.
Id tamen mærore plenum habetur:
quòd inimicum hominibus fatum,
inter pharmaca Orbis absynthia condat.
Et quos ferre inter decora optamus;
eos ferire festinat:

edoctum penitus;
nullum caucasũ ad hebetandam ferrei livoris aciẽ,
plurimas cotes ad acuendam inveniri.
Id singulare;
quòd corda viventiũ pro amore, amarore condiat;
dum adempta solatia quærentes,
in naufragas oculorum pupillas, navigia lachrymarum protrudit.
Quasi cum urna brevi mẽs querula fluctuare debeat,
in Regionem longinquam aberrare.
Mori inevitabile
calentes seculorum animas trahit sub frigida marmora;
velut spiritû earum animatis saxis
cum æternitate loqui potiùs conveniat;
& viventûm odisse consortia.
Hoc fine visum est
lapidem Tibi revolvisse super ostium monumenti;
dum Vespere Sabbathi Sancti,
quietẽ ab omni mortalitatis opere indixit,
Tuis pijs manibus
*Perillustris olim Clarissime & Admodùm Reverende Domine*
D. M. STANISLAE
DASZCZYNSKI,
Sacræ Theologiæ Doctor & Professor,
Ecclesiarum Collegiatarum; S. FLORIANI ad Cracoviam PRÆPOSITE,
Visliciensis DECANE,
Vir probitate ac Majestate eruditionis
omni

BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE

omnî ævô venerande!
Emensa Tui laborum stadia,
ingens fuerant semper Appia ad Coronã.
Quòd laureîs decorata, ad præsẽs cupressîs squalleãt;
æmula votis mortalium fecit dissolutio.
Eripuit Te amori viventium, qui singulorum corda merebaris.
Imò ab eis comprehendi nequiens,
super tenerrima Tui cortina ferebaris,
pretiosum animorũ conchyliũ, erythræũ affectuũ.
In cursu dierum Tui suavissimo, lapis sepulchralis,
lapis offensionis extitit:
ad quem conjunctarum felicitas mentium allisa,
unà Tecum rigescere deberet;
ni à gloria cum lenimento proviso foveretur.
Quantum Luminare Orbi fulseris,
hesperus Tui occasûs illustrat.
Nimirum
Sabbathum Sanctũ, vel diei obitûs Tui consecratũ,
vel saltem consecrandum instillat.
Certè religione non vanâ.
Tuarum enim virtutum solemnitas primæ classis est;
quæ thymiama pectoris semper celeberrimo ritu adolebat,
Supremo Numini.
Candorem vitæ innocentia præfigurat:
& quia stolam albam pro amictu gestiens,
AGNVM comitata Paschalem;
vel in monumento Resurgentis Domini,
inter Angelos sedentes computari festinans.
Die septima quievisti à mortalitatis opere;

cùm plurima immortalia in tota penitus vita fabricaveris:
unde non totus mortuus,
ſub vexillum Triumphantis Domini
etiam de fato triumphare properâſti.
Saturni dies, vel potiſſimum inde feralis Tibi;
quòd Te in Regionem vivorum tranſtulerit,
Verum, Virtutum Cultorem,
eruditione ac pietate æquè ornatum PROFESSOREM.
Gemmeum par hoc in Te reluxit,
velut in Pyrrhi annulo prodigioſus unio.
Hoc Tibi ingens æſtimatio fuit,
unde pretia animorum ſuperares.
Præſertim,
cùm pietas ſe ſolâ cæterarum altrix virtutum,
Superûm alumna dicatur,
quid eruditionis comitatû inſignis?
Acervum gloriæ Tuæ prætulit primò MANIPULUS,
quem in victimam dedicâſti,
Doctoralem olim aſcendenti Sphæram,
Literatorum Luminari
WINKLERO.
jeciſti ampliſſima laborum ſemina,
unde ingenij, præſtantiſſimi prominerent partus,
bajulandi Nominis Atlantum ſuppares.
optimè illi eminebant
ad meridiem Laureati Honoris,
quem CZYZYCZKIEVIJ, ARTENSCIJ,
PRACZLEVIJ,

in

in Culmine Doctorali accendère;
Tu oratoriô instrumento observâsti.
Profluvio plenæ facundiæ opplêsti paginarum margines,
quô ad posteros probitatis Majorum deduxisses cymmelia
Solus in eadem Navi videndus.
Inter has interim gloriæ aristas præstò aderāt animorū confluxus,
petijt plurimorum studium ope Tua satiari.
Et modestiâ victus
vincere vota petentium cùm nitereris,
censebas Te in mancipium abire,
dum Dux animorum elegereris.
Hinc inter alios Illustrissima PONIATOVSCIORVM indoles
aciem sui Tibi regendam commisit.
Et tantum Te Hirone profecit;
ut à ludo literario ad hastiludia; à Palladis penna, ad Martis calamos;
à Scholasticis ad pyrios pulveres
creverit intrepida.
Et quam ad exoticos probâsti Soles,
eam nunc fulmina Aquilæ Polonæ ministrantem experitur Orbis
in Supremo Militiarum Regni Præfecto
PONIATOVSCIO.
Idem fructus gloriæ in Culmensem Te deduxit Coloniam;
certè vel maximè culturâ scientiarum celeberrimam,
Te ibi DIRECTORE.
Vidit Prussia Gentis Togatæ nobilitatem per Te provectam,
Trutinavit, quantorum Cracius Academus ferax Virorum;
ex præmissis excellentiæ multùm de dignitate Tui concludendo;
Quam publicârunt perampliùs
Illustrissimorū JORDANORVM TUBÆ.

utpote gloriâ Atavorum per Orbem vocalissimæ
modulamen sui optimum à Te expertæ;
Majestatem Sarmatici Soli dum ebuccinant;
spiritum oris Tui provehunt;
ut iis post fata vivas superstes.
Elegit deinde virtutum amor,
altioribûs per Te crescere incrementîs,
& cùm passus meditaretur, decempedas invenit:
Tui alacritate præcurrente
ad plantandam doctrinæ vineam,
animorum hortum erigendum,
Coloniam scilicet Pinczoviensem.
Vbi
illius Gymnasij Protoplasta
*Illustrissimus olim & Excellentissimus Dominus,*
D. JOSEPHUS
GONZAGA MARCHIO in Mirow
MYSZKOWSKI,
Castellanus Sandomiriensis,
dum Te primum Directorem suscepit:
illicò non magis Tibi tyrocinantium colla,
quàm sui subjecit animum;
Ut nimirum ductu Tuo regeretur
atq; locum illum protegendo, Tibi obtemperaret,
& obtemperando, Te cum Philomusis protegeret.
Et non defuit animus tanto suppar muneri.
Etenim

primus

primus Cathedræ Tuæ Suggestus METATIO CASTRORUM fuit;
cuncta proinde armorum sive animorum dispositio,
omnium corda expugnare,
DEO & hominibus placere.
Et sinè fastu;
nam hunc à teneris adhuc è Tuo imperio rationis proscripsisti
obsequentissimus humilitatis cultor.
Scholam Platonicam qui scire voluit;
eam ex Tui aspectu mirari & imitari satis habuit:
unde comitas, verecundia, candor primam tenuere dictaturam,
Sanctimoniâ præcepta vitæ præscribente.
Dignum prodigio!
quomodò tribûs ferè lustrîs
avidis Te noscendi illius Civitatis incolis
famam nominis Tui pro persona communicabas;
conversationem vel in cælos dirigens;
vel DEO dicatis Viris devovens:
edoctus;
Soles in apricum prodeuntes, luce sua per lutosa volutare loca
nocivos attrahere humores, aduri maculîs.
Contractum hâc methodô domicilium
linquere Tibi molestiùs fuerat;
quàm dum ad illud operarius vocareris.
Ascēsus quosvis, ad honores; descēsꝰ ab humilitatis regula judicādo,
*nolle honorari cum posses honorem maximum elegisti.*
Ast non favit fortuna votis.
Etenim pro reditu Tuo ad Quirites institit plurimùm
Magnus olim in Orbe Literario Tullius & Alcides
Doctorum Decus
PROFECCIVS,
qui Te ad inclytam DOMûs MAJORIS, coronam,
gemmam perutilem videns;
ei inseri flagitavit, effecit.
Vnde precibûs licèt Mecænatis Tui stringebaris & affectu;
fortiora unitæ Patrum virtutis vincula sentiens,

 cor-

corde ſympatico tractus ſedem Majorum conſcendiſti,
Eorum corculum & anima.
COLLEGA MAJOR nil in Te magni videbas:
memor Academicæ vitæ,
ſolitudinem pro umbroſis Academi lucis adamâſti.
Probitatis lucernas
ſub modio modeſtiæ ac pietatis conſervare nitebaris,
& tamen iis ipsîs Clariſſimus, Perilluſtris incedebas.
*Aurum utique viſceribus terræ nequit concoqui:*
*nec Achilles inter ementitos veſtitus lattitare poteſt.*
Jam Te Theologorum complectebâtur Cathedræ,
Doctorales adornabant Coronæ:
& adhuc Tibi Ipſi videbaris diſcipulus;
Magiſtrô Timore Domini
in Schola pietatis, continua exercitia componendo.
Noluiſti Augem Literatorũ Supremã conſcendere,
niſi tribus Superioribus conjunctus:
inter Eorum virtutes, Tuas depoſiturus
particularîs eminentiæ inimicus.
Præiverat Tibi in Doctoralem ſuggeſtum
*Perilluſtris olim Clariſſimus & Admodùm Reverendus Dominus*
M. PETRVS ŁVZENSKI,
Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor, Eccleſiarum Collegiatarum; S. ANNÆ Præpoſitus, S. GEORGII Cracov: Cuſtos,
Parochialis in Siepraw Curatus,
& ad viam immortalitatis præivit.
Utinam ſaltem in relicto Ternione Doctorum
impenſa felicitas conſervata fuiſſet!
Sed quoniam fata fatua Te eandem viam terere cóegerunt;
ô Superi!
ferte propitiati auxilia,
ne ex tantis præmiſſis feralis ampliùs ſæviat conſequentia!
Fovete ea Columina;
quæ hactenus in ſuſtentacula Orbi Literario poſuiſtis firmiſſima.
Ferte

Ferte liberales benignitate manus,
ad præstanda perennitatis subsidia,
*Magnifico, Perillustri & Reverendissimo Domino,*

# D. M. MARTINO WALESZYNSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Parochialium; Montis S. Georgij in Scepusio & Premykoviensis PRÆPOSITO, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinario Censori, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procuratori, Contubernij Hierosolymitani Provisori, Studij Generalis Almæ Vniversitatis Cracov: PROCANCELLARIO, ac Vigilantissimo

R E C T O R I.

Effundite favorum vestrî cornucopias
super

*Perillustrem Clarissimum & Admodum Reverendum Dominum*

# D. M. MARTINVM KUROWSKI,

Sacræ Th: DOCTOREM & PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiarum Collegiatarum; S. FLORIANI ad Crac: DECANVM, Posnan: CANCELLARIVM, Vielicensem PRÆPOSITVM, Contubernij Staringeliani Provisorem.

Conservate utrumq; MARTINVM, utrumq; DOCTOREM,
eâ clementiâ; quâ immortalitatem fovetis:
eâ firmitate; quâ vel perennes Orbi credatis,
vel saltem eis Platonica sæcula revolvatis.

Absit ab urna coæquatio;

quamvis in Cathedra unus omnibus gradus, una corona fuere.

Satis nobis ad puncturam cordium;

in Aprili, primò spinas doloris in terra nostra apparuisse.

 Satis

Satìs ad querelas;
ad Cæli plenilunium, Luminare nostrum decrevisse,
eò funestiùs;
quò certius; sine spe luminis!
Violavit fatum Silentia Academica sonitu campanarum,
pectora mærore pulsavit.
Profanavit Sabbathum;
dum atroci falce Doctorale Caput demessum est;
satìs temerè;
quia præcociter primo vere tantam sibi messem procuravit.
Immanî ictû
fontes doloris in Campo Literario excavatos potamus.
Ad exilium Magni ab Orbe Viri
ponti Euxini lachrymarum accolæ
Tristium libros conscribimus.
Sufficit jam nobis flebili pupillâ
ad funera DASZCZYNII DOCTORIS educi!
Cujus præstantiam, gravitatem,
non pennæ leviori, sed immortalitati prædicare convenit.
Cùm vita Illius ( ut paucîs edisseram )
Seminarium virtutum fuerit,
alumnatus affectuum, Literatorum Decus, norma sapientiæ:
Singulorum exemplar.
Pius, prudens, humilis, pudicus, sine labe vitam sobriam ducens;
STANISLAVS non Martyr; sed probitate Pontifex
inter Confessores numerandus.
Parcite ò pijssimi DOCTORIS Manes,
eòusq; fragilem provolâsse pennam.
Vobis enim tantùm quies cum alto conticinio indicta,
pietati & candori Academico nunquam imponetur silentium,
quin

quin ad revolutum Vobis Lapidem exardescant clariùs
per scintillas affectuum.
Ad vestigia in pulvere mortalitatis relicta
gradationes Oratorias conspicere necessum.
Præsertim, cùm nulla tumba præstantes in Orbe Viros,
tàm conclusit,
quin saltem fimbriam præstantiæ eorum relinqueret.
Plures adhuc pressura cordis continet Vobis devotos characteres;
quàm sepia in paginam effundit:
Sicut in Te spectamus
*Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine*
D.M. STANISLAE
MARKIEWICZ,
Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, Collega Major, Ecclesiarum Collegiatarum; S. FLORIANI ad Crac: CANONICE, Kureloviensis SCHOLASTICE, SS. OO. Crac: & Prossovicensis PRÆPOSITE, Scholarum Novodvorscianarum & Contubernij Geloniani PROVISOR,
Pater Emerite!
Affectibus Vestris Nomina convenere,
dum corda vobis mutuò donâstis
animos dedicâstis.
Hinc quanta Tibi cum superstite fuerunt solatia;
tanta ex dissolutione, dolorum torcularia;
Quos & Tu non postremè participas.
*Perillustris Clarissime & Admodum Reverende Domine*
D.M. PETRE
SZYMAKOWSKI,
Sacræ Theologiæ PROFESSOR, Collega Major, Ecclesiæ
D Colle-

Collegiatæ S. FLORIANI ad Crac: CANONICE, Scholarum Novodvorſcianarum VICE-PROVISOR.

Vobis nempe, dum ultimam voluntatem commiſit,

**magnam portionem animæ reliquit;**

ita ſuperſtes in affectibus Veſtrûm permanſurus.

Non ſilebit inter Cælitum agmina, Veſtra obſequia.

Imò dum lapidem nuper ſibi revolutum, monumento ſuo imponi videt

Vobis momenta longævæ vitæ apprecatur ſecunda.

Dum ſolicitudine Veſtrûm oſſa ſua honorificè ſepelit,

Vobis æternos honores devovet.

Non denegat Paternum & Tibi affectum

qui Patruus in vita extitit

*Excellentiſſime ac Doctiſſime*

# D. M. STANISLAE KORCZYNSKI,

Philoſophiæ DOCTOR Scholæ S. FLORIANI Senior, PROFESSOR Æſtimande.

**Fatorum injuria eſt**

quod Tibi mortuus nunc ſpongiam lachrymarum obijciat,

**cùm vivus cor offerret.**

Cunctis Ille Septuagenariâ quamvis ætate preſſus

manſvetum, mitem & benevolum ſeſe præbuit:

à cunctis poſt fata ſingulares meretur affectus.

Vnde meritò preces Cælitum Aris inſerimus,

Lapidi ſuper monumentum Ejus inſcribimus:

ut Sabbatho Sancto à nobis ſegregatus,

Accubitum ad Nuptias Agni immaculati,

portionem Gloriæ in Terra viventium,

quantocyus teneat.

BIBLIOTH. UNIV.

I. XIX. 26.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0010948